



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. I. De interpretatione legis vel statuti.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

tis alienentur (cū statuta, quæ liber-
tati Ecclesiasticæ præjudicant, nulla sint,
juxta sæpius allata jura) nisi cum licentia,
& permissione Summi Pontificis ea con-
dita fuissent, aut ab illo approbata, cū
non tantū derogare possit Pontifex
Clericorum privilegiis, sed licentiam
etiam dare possit personis talibus Eccle-
siasticis, ut juri suo, quod sibi de natura
competit ad acquirendum & retinen-
dum, ob bonum publicum cedere pos-
sint: & quamvis ex recepta in pluribus lo-
cis præpateat, nullitatem hanc alicubi
non agnosci, non debet tamen de valo-
re talium statutorum ex praxi colligi ali-
quid, sed ex jure Canonico, cū Regu-
la nostrarum actionum non sint facta
hominum, sed jura competentia.

§. III.

*De aliis Constitutionibus reproba-
tis à jure Canonico.*

I. Statutum alicujus Communitatis
vel Collegii, quod vergit in ali-
quorum commodum & in aliorum da-
mnum, sive per quod aliqui magis, quàm
alii ejusdem Collegii & æquale jus ha-
bentes gravantur, injustum est & invali-
dum. *c. cū omnes b. h. t.* Cū enim lex
sive Constitutio commune sit præcep-
tum, ad cujus normam communiter om-
nes ejusdem communitatis vivere de-
bent, & ferri debeat ob publicum bo-
num, & communem utilitatem totius
Collegii, consequenter nulla est, & invali-
da talis Constitutio, si privatim tantū
commodum singulorum attendat, & si-
ne ulla rationabili causa inæqualitatem
inducat, inter ejusdem Communitatis
partes; ac optimè taliter constituenti di-

cat; *patere legem, quam tu ipse tulisti.*

II. Non valet statutum, quod cedit
in diminutionem cultūs Divini. *ex parte
12. h. t.* (ut imminuatur v. g. numerus
præbendarum in Ecclesia aliqua Colle-
giata contra antiqua statuta, aut consue-
tudinem, vel fundationem certum nu-
merum præscribentem, quò pingui-
res obveniant præbendæ paucioribus
Canonis) cū Divinus cultus augeri
potius quàm imminui debeat, & statu-
tum tale videatur ex radice avaritiæ, &
proprii commodi potius provenire, quàm
ex legitima causa, cū reditus in tali Ec-
clesia consueto Canoniorum v. g. nu-
mero competentes, nihil fuerint immi-
nuti.

III. Non valent statuta Clericorum
ab inferioribus Pontifice facta contra jus
Canonicum *c. quod super bis de majori.
& obed.* Quamvis enim Laicis concessa
sit hæc potestas, ut possint etiam contra
leges Cæsaræas statuta facere, hæc tamen
potestas contra jus Canonicum statuta
faciendi non legitur concessa Clericis
Pontifice inferioribus.

S E C T I O III.

*De interpretatione, exten-
sione & abrogatione Constitutio-
num seu statutorum.*

§. I.

*De interpretatione legis vel
statuti.*

Certitas Regulas observandas esse in
legum aut statutorum interpreta-
tione, docent communiter omnes: Et i-
quidem non tam verba, quàm mens &
inten-

C

inten-

intentio legislatoris (quæ potissimum ex ratione motiva, propter quam lex fertur, colligi potest) observanda sunt in legis interpretatione *c. in his 15. de V. S. reg. ult. in 6.* cum intentio rectè dicatur anima legis. 2. Interpretanda sunt verba legis juxta communem, & usitatam, & propriam significationem, à qua recedendum non est, nisi ratio vel necessitas cogat, ad evitandum v. g. absurdum, antiquorum jurium correctionem, aut receptæ consuetudinis praxin &c. quarum correctiones odiosæ sunt, & ad verba nonnunquam improprandi cogunt. 3. Quæ generatim & indefinitè loquitur lex, generaliter etiam & universaliter intelligenda est, ut locum habeat in omnibus, quæ sub tali genere in propria verborum significatione continentur. (*ubi enim lex non distinguit, neque nos distinguere debemus*) nisi per legem priorē aut posteriorē in specie loquentem generalitas illa limitetur, aut casus aliquis in ea excipiatur. 4. Ita intelligenda sunt verba legis, ut lex non reddatur inutilis & otiosa, sed ut aliquid operetur & effectum aliquem habeat juxta *Gloss.* communiter receptam *in c. 2. §. fin. V. aliter facta de usu. in 6.* 5. In dubio explicari verba statuti debent, ut quantum fieri potest, salva eorum proprietate, à communi jure non recedatur (juxta *Gloss.* communiter receptam *in c. cum dilectus. 8. V. juri communi de consuet.*) & non sit explicatio illa contra stylum Curia Principalis in foro illo observandæ, aut contra consuetudinem communiter receptam *c. ex literis. 11. h. 1.* & hæc etiam clausulæ in statutis talibus & legibus sibi intelligi debent, quæ secun-

dum Jus commune, & stylum Curia, aut loci consuetudinem apponi solent *c. cum M. 9. h. 1.*

§. II.

De extensione legis.

Extensio legis duplex est, comprehensiva alia, sive inclusiva, quæ tamen minus propriè legis extensio dicitur, & aliud non est, quàm quod per eam dispositio, sive decisio legis transferatur ad alium casum aut Personam, non quidem sub verbis expressis legis clarè significatam, comprehensam tamen in mente legislatoris, ad quam in decisione legis præcipuè attendi debet: alia legis extensio, quæ propriè dicta est, dicitur extensiva, quando scilicet dispositio legis ad alium casum aut Personam, nec sub verbis legis, nec in mente legislatoris comprehensam, propter paritatem rationis extenditur, non quidem contra mentem legislatoris, sed præter aut ultra illam.

Illæ, comprehensiva scilicet extensio locum habet ob identitatem rationis, non tantum in materia favorabili, sed etiam odiosa pœnali, exorbitante & juris correctoria (rarius tamen, & non nisi urgente necessitate, ne absurdum admittatur) tam intra, quàm extra judicium; quia merito præsumi potest, legislatorem expressisse quidem aliquem casum E. G. alios tamen similes casus, in quibus omnino eadem ratio pugnat, & absque iniquitate & absurdo aliud dici non potest, pari modo decidendos in animo habuisse. Hæc verò merè extensiva propriè dicta extensio, extra judicium & in foro conscientia locum non habet (*neque enim*